

Gottfried Weiss

Rector Academiae Rostochiensis Gothofredus Weiß/ Gr. L.P.P. ... Ad Solennes exsequias ... Martini Sillers, Civis ac negotiatoris primarii ... Abs moestissima Vidua Hodie parandas, Omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. Sub Sigillo Rect. d. XII. Martii, A.MDCXCI.]

Rostochii: Wepplingius, [1691]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774759879>

Druck Freier  Zugang



Weiss, G.,

in

M. S i l l e r .

Rostock. 1691.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
GOTHOFREDUS

Weiß /



P. Facult. suæ h. Decanus,
& ad D. Nicolai Ecclesiastes,
Ad

Solennes exsequias,
Viri Spectatissimi Doctissimiq;

DN. MARTINI

Sillers /

Civis ac negotiatoris primarii, Collegii
Sedecim - Virorum Senioris & Ædis Marianæ Cu-
ratoris dexterrimi, fidelisimique,

Abs mœstissimâ Viduâ

Hodie parandas,

*Omnium Ordinum Cives Academicos, eâ quâ
fas est humanitate invitat.*



ROSTOCHII

Typis JOHANNIS WEPPLINGII, 'Univerf. Typogr.



Rimum mensem,

ver novum agit, ac magis magisq; adolescens, amœnissima quævis, universo animantium generi promittit. Blandioribus jam fovetur solibus terra, & horrido altoque gelu hætenus circumfessa, nunc claustris soluta, liberius explicare vires suas incipit. In novam scilicet se transformare figuram nititur, positâ lugubri quæsi, subatrâ nempe albæ veste, novum quotidianis ornamentorum augmentis ostentatura cultum. Sane cuncta quæ tristi hiemis nocte sepulta jacebant, resumpto vigore surgunt. Læto germine prodeunt langventia & emortua terræ semina; festinant veris primulae, & ad aspectum ferè nostrum surgentes, elaboratâ comparent formâ, ut reliqua hortorum decora succrescentia præveniant; recolligitur arborum fruticumque vitalis succus, opportuno ad inas radices subterfugio, aeris inclementiam, frigorisque incumbentis vim infestam feliciter hætenus eludens. Sic de novo animantur stirpes, folia floremq; protrudunt, ceu fugatæ hiemis lætos triumphantesq; testes: sic redditur paulatim, suus honor agris, decus pratis, pompa hortis, menstrua florum variatione mirum in modum luxuriantibus. Resonat ær etiam modulationibus avicularum, de pulso frigore, sibi, terræq; & animantibus aliis altâ suavissimâq; voce gratulantium, & in primis Conservatorem hujus universi benignissimum, suo more modoq; alta petens alauda laudat. Neq; animantes feras porro antra sua juvant, obscuraq; latibula, adversus hiemales cœli injurias tuta aliâ præsidia; Sed his relictis, membra macie deformata, tepidi æris fomentis exponunt, pastu novo refecturæ langventia corpora, instinctumq; naturæ ad generis propagationem vi occultâ impellentem, cum voluptate singulari secuturæ. Nec homo tandem, animantium dominus, terræq; nobilior indigena, absq; tædiorum & mole.

& molestiarum devoratarum desertatione hiemem dimittit, qui, cum singularis animi lubentia contestatione, excitatis ad novam agilitatem ac serenitatem spiritibus, excussoq; languore tempore conveniente, veris ingruentis blanditias excipit. Huic multa, supra memorata, sunt laetitiae argumenta, utpote quibus pascuntur oculi, mulcentur aures, & reliqui simul suaviter afficiuntur sensus. Ast non subsistit in his, quae dulcedine quadam sensus perfundunt, quae bruta etiam rationis expertia fruuntur, sed altiora cogitat homo. Etenim, hunc ideo supra sortem reliquorum in terra viventium longissime rerum Moderator summus evexit,

*Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumque tueri
Jussit, erectos ad sidera tollere vultus*

Nimirum, luculentissima Bonitatis, Potentiae & Sapientiae divinae specimina ver exhibet. Sole namque post emensa hiemis spatia profunda redeunte, & ad altiora magno nisu contendente, vicissitudinem temporum statam, quatuor vicibus distinguentem annum, unaque summam sapientissimi Numinis elementiam & virtutem merito admiramur. Hac sane effectum, ut tantis divinae majestatis insignibus, Soleque potissimum caelum superbiret, quem merito, Syracides *αὐτὸν ὁ Θεὸς ἰαυαγιστὸν ἔργον ἰψὺς* i. e. machinam admirabilem, opus Altissimi vocat, utpote, qui inter alia admiranda plurima, dies etiam, annos & tempora dispensatione accurata dirimit. Quae temporum variatione annua, sine dubio tellus fovendis seminibus, ferendis maturandisque frugibus, redditur idonea. Unde post cataclysmum mundi universalem, in signum gratiae certissimum, post oblatum a Noacho grati odoris sacrificium reconciliatus promisit Deus: non cessare debere, donec orbis steterit, frigus & aestum, aetatem ac hiemen, sementem & messem. Et annon ex quolibet etiam gramine, omnipotentia divina evidenter elucet? nec enim collatae omnium mundi Regum Principumque vires, illi producendo sufficiunt. Romanis olim mos erat, gramineo cepite sacrificare Marti, quippe cui gramen consecratum, quod

) 2

secun-

secundum Plinium in naturali historia, ex humano cruore procreatur. Nos, germinantia, campisq; hoc verno tempore redeuntia gramina, laudis sacrificio, Deo Statori ac Conservatori naturæ optimo, benignissimo, debito, materiam convenientem, urgensq; incitamentum censemus, indeq; Eius deprædicandi numen & providentiam ansam capimus. Idq; eò magis, quòd simul hujus universi & sic totius naturæ primordia, primaq; invisibilis potentia & sapientia divinæ documenta, verno tempore, uti haut immeritò credimus, facta, veris ineuntis occasione in memoriam nobis revocemus. Miror sanè effatù Poetæ, versus sequentes de vere cantillantis:

*Non alios primæ crescentis origine mundi
fluxisse dies, aliumque habuisse tenorem.
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebas
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euris:
Quum primum lucem pecudes hausere, virumq;
Ferreæ progenies durum caput extulit arvis,
Jmmissæque fera sylvis & sidera celo.
Nec res hunc tenera possent perferre laborem,
Si non tanta quiet iret, frigusq; caloremq;
Inter, & exciperet Cæli indulgentia terras.*

Sed alia suppeterent hoc evincendi argumenta, si huic loco id conveniret. Non solum autem rerum initia, hoc tempore sese animo nostro commodè insinuant; sed vitæ quoque nostræ adeo fluxæ atque instabilis rationem finemque, magno nostro bono ut pensitemus, ver monet. Quas quidem cogitationes, post S. Spiritus, in sacris paginis toties iteratum consilium, adeo necessarias ducit ac proficuas etiam Seneca, ut indefinenter mortalium animos haut immeritò versare debeant; quando inter alia multa (Epist. 30. & de brevitate vitæ c. 7.): *magna res est, inquit, equo animo ex vita abire. Vivere totâ vitâ discendum est, & quod fortasse mirabilius, totâ vitâ discendum est mori. Hoc affigamus animo. Non recensebo multis, Naturæ Consultorum de aëris verni temperie judicium. Utut enim nonnulli, non adeo insalubrem, corporumque*
tem

temperata constitutioni inimicum eundem censent; siquidem post æquinoctium vernum calor inter frigus hybernium & æstivum calorem medius, auram quâ vescimur, afficiat, eandemque vitæ nostræ in calido humidoque temperato consistenti congruam reddat. Unde nec autumnus qui frigiditate & siccitate sua, corpora refrigerans & siccans, *ἀνομλία* simul ac inæqualitate suâ, morbos in universum gignat acutissimos ac perniciosissimos, ver in hoc ipso comparari volunt. Veruntamen, aliud experientia, optima rerum magistra, quoad prius docet, nec per humores est terræ de novo aperta evaporantes, ita temperato & à malignis impressionibus libero aëri esse licere puto, ut sanitati corporum non damno potius sit quam adjumento. Hinc varii fatisque periculosi hoc tempore morbi nos infestare, viresq; & vitam ipsam haut infrequenter posternere solent. Quid ergo veri fuerit convenientius, quam mortis meditationibus occupari? Quas etiam suggerunt, mortua per hyemem huc usque terræ semina, corruptionemque passa. Sic enim corpora etiam nostra, DEo jubente, vitæque flammam extinguente, marcida concidunt, humoque condita longam patiuntur hyemem, rigentibus gelu membris, dum convertantur in terræ pulverem ex quo constant. Ea tamen in cineribus fovetur spes reliqua, nempe, desideratissimum aliquando appariturum ver esse, quod, Sole Justitiæ, claustra sepulchrorum penetrante, admirandâque virtute sua cineres animante, vigore novo, multoq; meliori sorte iterum prodibunt, æquè ac vere novo, graminum florumque læta exsurgunt germina.

Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, inquit ad Corinthios Apostolus. Talibus ergo cogitationibus veris auspiciis salutare ac excipere decet, hoc enim pacto securè ejusdem frui deliciis licet, corporeque, gratiâ & venustate anni formosissimi capto, animus quoque convenienti sibi pabulo exsatiabitur. Nec insperatum sic horridumque nobis obveniet, ad amœniora

transeundi imperium. Et hoc ipsum sedulo egit, piè defun-
 tus noster, Vir, prudenti rerum usu, vitæ integritate &
 literarum culturâ præstantissimus, *Dn. Martinus Siller* / Civis
 incluti Rostochii primarius, ædilitiâ dignitate conspicuus (Basi-
 licam enim Marianam eâ quâ par est fidelitate ac sollicitudine
 curabat) Mercator eximius, & præterea incluti sedecim,
 Virorum Collegii Senior spectabilis. Hic á primo ineuntis
 ætatis vere, ita mundo hocce rebusque terrenis usus est, ut
 sibi aliquando exeundum, melioribusque ac firmioribus fra-
 gilia hæcce permutanda esse cogitaret. Et sicuti cum pri-
 mo quasi lacte, pietatis virtutumque semina, à Parentibus o-
 ptimis hausit, Majorumque vitæ laudabiliter actæ exemp-
 la strenuè sequenda sibi jugiter proposuit: ita in pietatis Chri-
 stianæ, virtutumque simul ac rerum gerendarû, bono cive di-
 gnarum, publicoque etiam emolumento oppidò proficiarum
 exercitio floruit, usque dum autumnum annorum, virium-
 que in ipso hoc primo vere consequeretur. Sed & parentes
 majoresque laudatissimos, quorum virtutes retulit, paucis
 pro more allegasse, vitæque cursum ordine delineasse juvabit.
 Natus autem Is est Anno 1627. d. 3. Novembris, Patre quidem Viro
 Spectatissimo atque Doctissimo *Dn. Martino Siller* / Cive hic quon-
 dam ac negotiatore præcipuo; Matre verò pietissimâ probatis-
 simâque fæmina *Margaretha Arnimbs*. Avum agnovit Paternum,
 Virum prænobilem & strenuum *Dn. Christianum Siller* / po-
 tentissimi Electores Brandeb. in arce Memelâ dispensatorem fulgi-
 dissimum, Aviamque paternam Feminam præstantissimam, *Esbe-
 ram Sonderfeldts* / Viri Prudentissimi Spectatissimique *Dn. Nicolai
 Sonderfeldts* / Senatoris Memelensis Filiam. Avia mater na extitit
 ipsi, laudatissima Femina *Agnetha Dolsten*. His Majoribus Parentibusque;
 editus beatus noster est, quibus prima cura fuit, natum recens in fan-
 tē sacratissimo baptismi fonte tingendū & regenerandum exhibere.
 Utut autem in tenerâ adhuc ætate parentibus dilectissimis orbus fa-
 ctus sit, in eorum tamen locum iussu tutores providi sunt, qui ejus
 exploratâ indole, jam tum indicis haut obscuris, optima quæq; pro-
 mittentibus, se exserente, ad literarum studia ingenio habili eum
 fore haut vano omine conjecturarunt. Proinde scholæ hic oppida-
 næ eru-

nae erudendum commiserunt, hinc Gufrovium, Erphordiam
similiter, studiorum gratia petiit, quae ibidem haut infeliciter per
aliquot annorum decursum continuata, Regiomonti Borussorum, in
celeberrima Albertinâ perficere allaboravit, ubi pariter aliquot an-
nos commoratus, assiduâ industriâ Jurisprudentiam coluit, egregios-
que progressus fecit. Uti autem Deo nobis insciis & inconsultis sic
disponente, multa praeter opinionem & ex improvise obvenire so-
lent, ita etiam beato nostro obtigit, ut affectum singularem Viri
perstrenui generosissimiqve, Domini Caroli de Tacken, Serenissimi
Poloniarum Regis in Curonia Consilarii Provincialis, forte fortu-
na meritis sit. Qui ejus eruditione solidâ, moribusque in exem-
plum juventutis commendandis illectus, filio eundem natu majori
bonis literis, aliisque huic aetati convenientibus institutis imbuendo
praefecit. Quod ipsum quanta industriâ ac fidelitate praestiterit, vel
ex eo patet, quod agerrimè illum exacto temporis praestituti spatio
abjurientem dimiserit, amplissimisqve promissis, nec fortè inani-
bus, ea enim animi generositas, sinceritasqve Viro illi fuit, retine-
re tentaverit. At verò patriam dulce solum, exacto Adolescentiae
vere, indefessa sedulitatis fructibus beare in animum induxerat, atq;
sic suscepto, confectoqve feliciter itinere in eâdem redux factus est.
Hic ergo sedem quietam figere, Deo proximoqve donis sibi conces-
sis inservire paratus, constituit, & sic, interjectis tamen aliquot an-
nis, connubii honestissima foedera meditatus, Deo ita dirigente
amores sociavit suos cum Virgine sextus sui virtutibus ornatissima
Margaretha Weselins. Viri Amplissimi ac prudentissimi *Dn. Jo-*
hannis Weselins Senatoris de hac Republica Rostochiensis pracla-
rissimè meriti, jam pridem beatissimè functi, primogenitâ, nunc vi-
duâ, ægritudine animi ob mortem conjugis desideratissimi ferè con-
fectâ. Pactum ergo connubium, manuqve sacerdotali interce-
dente An. 1659. d. 19 Julii, consummatum, improle quidem fuit,
non tamen amore sociali ardentissimo utriusq; pectus, divinâque be-
nedictione domus vacua exitit, Numinis benignitatem immeritam
conjugibus hisce gratissimâ mente semper venerantibus. Neque ve-
rò etiam latere Viri virtus ultra potuit, quin primis à nuptiis annis vix
elapsis, in numerum sedecim Virorum adscisceretur. Quod Colle-
gium uti ex viris antiquæ fidei, spectatæ virtutis, probatæqve dexte-
ritatis, rerum etiam ad politicæ commoda ac incrementa spectan-
tium

tium apprimè gauris constat: ità post Amplissimum Senatam,
 cui Deus omnia porro fausta & felicia in curando pro muneris ra-
 tione bono publico, secundas tenet, nec exigua inter Cives autorita-
 tis & existimationis est. Hic vidisses Beatum nostrum, tam dili-
 genti rerum olim gestarum scrutinio, quam obvientium multi-
 plici usu edoctum & sic experientia pollentissimum, ordineque Seni-
 orem, præire alios præprimis novellos, tam debita erga Magistra-
 tum observantia, quam consiliis prudentibus, eaque dexteritate &
 in promovenda pro virili salute civium indefessa sollicitudine, ut in
 exemplum meritò allegandum posteris virum putes. Quam fidelem
 etiam Aedis Marianaë curatorem egerit, supra jam memoravimus.
 Et ulterius officiis sibi demandatis fideliter fungi non destitisset, si
 vitam ei longiorem Deus concessisset. Cui aliter placuit, siquidem
 gravi morbo haut ita pridem correptus est, cujus incrementa quo-
 tidiana per trium hebdomadarum tractum sensit. Non desuere ex-
 quisita, pellendoque malo convenientissima medicamina, abs Viro
 Nobilissimo Experientissimoque; *Dn. Bernhardo Barnstorff Med. D.*
 & P.P. Poliatro itidem optimè merito, *Dn. Ad sine nostro honorabil-
 simo, eaque quæ decet fide & cura adhibita;* prævaluit tamen morbi
 vis, virtutemque remediorum elusit. Eo itaque magis magisque in-
 gravefcente, tempus adesse sensit, quò ex hac miseriarum umbrosa
 valle, ad veris perpetim sereni amoenitates transferendus sit. Proin-
 de Confessionario suo, Viro Plurimum Reverendo *Dn. Bernhardo
 Müllero*, ad D. Mariæ Ecclesiasti benè merito, *Dn. Collegæ & Compatri
 honoratissimo*, animæ suæ desideria exposuit, serioque de peccatis
 dolens, cœlesti *Phœbe* refocillari voluit. Sacris ita peractis, dissolvi
 cum Paulo Apostolo, ex animo desideravit. Annuit votis Deus, placidè
 sic morte, die mensis hujus tertiâ, h. gratâ vespertinâ, expiravit.
 Nunc ergo adulto vere in Cœlis fruitur, qui novò terris excelsit,
 ridetque inania quævis mundi oblectamenta. Precamur cor-
 pori altam requiem & ad meliorem vitam, gloriosam resurre-
 ctionem; In mœrore verò relictis patientiam, nobisque omnibus
in favorem. Quod superest, à vobis CIVES ACADEMICI, omni-
 um ordinum honoratissimi maximopere contendo, ut fre-
 quentiori numero eatis exsequias. P.P. Sub Sigillo
 RECT. d. XII. Martii, A. MDCXCI.
 Conventus fiet in Aede Mariana hora I. pom.

Jacobea



temperata constitutioni inimicum eius
siquidem post æquinoctium vernalis calor in
num & æstivum calorem medius, auram qui-
ciat, eandemque vitæ nostræ in calido humi-
perato consistenti congruam reddat. Unde
qui frigiditate & siccitate sua, corpora refrig-
ἀνομελία simul ac inæqualitate suâ, morb-
gignat acutissimos ac perniciosissimos, ver-
parari volunt. Veruntamen, aliud experientia
magistra, quoad prius docet, nec per hunc
novo apertâ evaporantes, ita temperato
pressionibus libero aëri esse licere puto, ut
rum non damno potius sit quam adju-
fatisque periculosi hoc tempore morbi nos
& vitam ipsam haut infrequenter posternere
go veri fuerit convenientius, quam mortis
occupari? Quas etiam suggerunt, mortua
usque terræ semina, corruptionemque passa-
pora etiam nostra, DEO jubente, vitæque
guente, marcida concidunt, humoque cond-
untur hyemem, rigentibus gelu membris, e-
tur in terræ pulverem ex quo constant. E-
ribus fovetur spes reliqua, nempe, desiderati-
do appariturum ver esse, quod, Sole Justitiæ
chorum penetrantē, admirandâque virtute
mante, vigore novo, multoque meliori so-
dibunt, æquē ac vere novo, graminum flori-
furgunt germina. *Seminatur in corruptione,
corruptione; seminatur in ignobilitate, surget
natur in infirmitate, surget in virtute. Semi-
male, surget corpus spirituale, inquit ad Corin-*
Talibus ergo cogitationibus veris auspicia
peredecet, hoc enim pacto securè ejusdem
bit, corporeque, gratiâ & venustate anni forti-
animus quoque convenienti sibi pabulo ex-
insperatum sic horridumque nobis obvenie-

)(3

